

DISPUTATIO GRADUALIS,  
EX PHILOSOPHIA PRACTICA.

De

# VIRTUTE MORA LI IN GENERE.

QUAM

CHRISTO DUCE ET AUSPICE CHRISTO;  
Cum consensu & approbatione Venerandæ Amplissimæque  
Facul. Philosophicæ, in Regiâ Academia Christineâ, qua ad Auram  
est, pro consuetū in Philosophiâ insignibus obtinendis;

SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi atq; Consultissimi,

D. MICHAELIS Gyllenstålpes, J. U. & Phil.  
Doctoris II. Pol. ac Hist: Prof. publ. celeberrimi. p. t. Magnifici  
Rectoris Magnificentiss: Meccenatis, patroni, præceptoris ac  
promot, sui, omni observantiâ æternum pro-  
sequendi cotendi:

In Auditorio majori horis solitis, cordatorum censuræ pu-  
blicoq; examini ventilandam submittit

ANDREAS JACOBI Elmegreen Smolandus.  
*S. R. M. tis Stipendiarius.*

Ad Diem 26, Maji, Anni 1655.

A B O Æ,

---

Impressa à PETRO Hansson/ Acad. Typog.

Admodum Reverendo & Praclarissimo VIRO,

**DN. M. Z A C H A R I A E P. L U N D-**  
**B E R G I O**, Sacrarum literarum scientiâ Eminentis-  
simo, Dioceſios Wexionensis Præſuli gravissimo, Patrono  
ac Promotori suo aeternâ animi veneratione ſufficiendo.

N E C N O N

Plurimum Reverendo ac Excellentissimo Viro,

**DN. M. G E O R G I O C. A L A N O**,  
Regiæ Universitatis Ab. S. S. Th. Prof. primario celeberrimo,  
utriusq; Ecclesiæ Aboënsis ac Nummensis Pastori vigilantiss:  
Evergeta, Mecenati ac promotori indubitatissimo, & hac tenus Nu-  
tricio liberalissimo, à quo tota, quaq; sit, salus, dependerat  
mea, Patris ad instar reverenter quovis honore ac  
obsequio prosequendo.

U T E T

Reverendo ac Praclarissimo Viro,

**DN. M. J O N Æ Z E P H Y R I N O**, Episcopatus  
Wex: Archipræposito dignissimo, ibiq; templi Cath. Pastori  
vigilantissimo, Mecenati magnopere colendo.

Nec minus

Reverendis, Praclarissimis, Prudentiss: Doctiss: ac Humanissimis, Regi  
Wex: Gymnasij Theologia Philos: ac Lingvarum **LECTORIBUS**,  
atq; Consistorij Ecclesiastici **A S S E S S O R I B U S** celeberrimis,  
ut non ita pridem Præceptoribus fidelissimis; ita nunc fautoribus  
ac promotoribus æfatem venerandis  
Simul atque

Reverendis, Venerandis ac Humanissimis Viris,

**DN. J A C O B O A N D R E A E**, Pastori in Åhseñhôga  
pervigili, Patri suo quovis filiali obsequio, jugiter prosequendo.

**DN. H A Q U I N O H u m b l e**, Pastori in Grema vigilan-  
tissimo, Fautori suo observando.

Discursum hunc inauguralem in gratitudinis & officiosæ  
mentis pignus, atque debitæ observantia documentum, d: vot: & humili: t:  
consecrat, dicat, dedicat & offert

Andreas Jacobæus Elmegren.

DE VIRTUTIS MORALIS  
NATURA IN GENERE,  
PRÆCEPTA.

I.

 *Irtus est promptitudo in homine agendi secundum honestatis normam, quâ affectibus tale injungitur moderamen, ut tranquillus & beatus, qualis in hoc mundo haberri potest, status obtineatur.*

Dividitur { 1. Decalogi, in Pietatem & Probitatem...  
vel { 2. Graduum, in Inchoatam, Communem  
intuitu: { & Heroicam.

III.

*Vitium est promptitudo agendi contra honestatem & rectæ rationis normam, quâ affectibus sua permittitur licentia, adeoque vel in Excessu vel in defectu peccatur.*

EXPLICATIONES.

*Ad Præcepta in Genere.*

**C**aput Philosophiæ moralis est, inquit Apuleius de Philosophiâ Morali, ut scias quibus ad vitam beatam pervenire rationibus possis. Consequeris autem illam, medium illud unicum Virtutem sz. probè si rime ris rimatam rumines, ruminatam prosequaris. Quicquid enim ad felicitatem ullatenus facit, id omne virtute paratur. Quæris voluptatem; in virtuosâ actione summa datur. Cupis honorem; Virtutem sequitur honos ut umbra cor-

pus. *Desideris opes*; quot quæsto humili loco nati, in adolescentiâ pauperes, ad magnas demum divitias per virtem honestè pervenerunt? *Vis sanitatem*; sectare virtutem, quis enim nescius est temperantiam, ut reliquas taceam, bonæ valetudinis nutricem esse? *Hilce ac infinitis aliis patet*, nihil quod ad felicitatem facit virtute non parari. Hujus igitur im præsentiarum Sacra peragenda; *Hæc jure meritòque sub contemplationem vocanda*. Hanc viaticum vitæ Menander; viaticum ad senectutem, Bias, apud Stob. Serm. 37, vocat. *Hanc commendat Plaut.* in Amphitr. Act. 2. Scen. 2. dicens:

*Virtus præmium est optimum, virtus omnibus  
Rebus anteit profecto: libertas, salus, vita,  
Res, parentes, patria, & prognati tutantur, ser-  
vantur*

*Virtus omnia in se habet, omnia adsunt bona, quem  
penes est virtus.*

*Hec servat & tuetur societatem & communionem inter  
homines, Plato in Protag.* *Hec veram largitur gloriam,*  
quæ, quod ait Agesilaus, optima dicendo & honesta faciendo paratur. *Plutarch. in apophth. Silius Italicus lib. 15.*

*Mecum honor & laudes & lato gloria vultu,  
Et decus & niveis victoria concolor alis:  
Me cinctus lauru perducit ad astra triumphus,  
Casta mihi domus & celso stant colle penates.*

*Hec supra fortunam est, ut Olympi cacumen supra nu-  
bes, & illam suo arbitratu fingit, moderatur, temperat,  
dirigit, emendat, corrigit & planè suâ habet in potestate  
Sapiens; fortunam suis fingit moribus: ait Plaut. in Trin. &  
Cic. s. Tusc. q. virtus omnia sub se habet, ea que despici*

ens, casus contemnit humanos. *Hæc nec eripi nec surripi*  
potest unquā, nec incendio, nec naufragio, nec tempesta-  
te, nec temporum permutatione transmutatur, *Cic.*: cum  
sit, altissimis defixa radicibus, quæ nunquam ullā vi di-  
moveri loco possunt, idem *Cic.* Quid proinde virtute  
in rebus humanis melius? *Hæc* quieta, tranquilla, secu-  
ra, hilaris, spei plena, ut *Aristoph.* dicit. *Hæc similis est*  
*monti* cuius vertex amoenissimus, *Hesiodus lib. 1.* operum  
& dierum. *Hæc similis honestæ matronæ*, quæ nec illu-  
vie sordidâ, nec luto delibuta *Silius Ital. l. 15.* Hanc ergò a-  
ctuosam qui possidet, is felix, is temporaliter beatus meri-  
tò est & reputatur.

*Ad Præceptum Primum..*

Virtutem *Latini* à viro verè deducunt, quasi  
ei, cui natura majores contulit dotes, magis conveniat,  
foemineum tamen sexum minimè excludentes. *Cic. l. 2.*  
*Tusc. q. Varr. l. 4. de lingua latina.* Convenienter enim  
virtus dieitur quasi *virum tuens*, eò quod virtus homines  
instar scuti contra quosvis exuberantium affectuum &  
inforniiorum insultus protegat & tueatur. Sicut *Graci*  
*ἀρετὴν σταθῆ τῷ ἀρετῇ* à Marte per *Synechdochē* dixe-  
runt, cum Martis tempore bellica virtus præcipuè emine-  
at; etiamsi æquè convenienter *ἄρο τῷ ἀρέσκειν* deduci  
possit. *Doct. Gyll. Coll. Eth. Disp. 3. Heid. part. 2. phil. Mor.*  
*Sueci* *Ðygd* à dugo vel ðyger quod efficacem potentem &  
validum significat. Ambiguitatem substrata materia  
de facili tollit, mequè hic per virtutem intelligere habi-  
tum animi electivum, seu quod idem est, promptitudi-  
nem in homine frequenti usu acquisitam, ad mores re-  
spicientem, vel quivis videt. *Conseratur Heid. part. 2. phil.*  
*Moralis.* Dicitur autem nunc virtus moralis, nunc me-

dium ducens ad summum civile bonum, non quatenus  
est inter duo vitiosa extrema, excessum & defectum,  
sed quo finis ab efficiente acquirendus sit. Definitur  
recte promptitudo in homine ejusque animo residens na-  
turâ usu & exercitatione parata, aliquid eligendi vel repu-  
diandi, quæ nihil aliud est quam habitus electivus, juxta  
Arist. lib. 2. Eth. c. 6. quo in agendo determinamur ad ali-  
quid sine difficultate præstandum. Vel constans animi  
propositum, juxta Vend. l. 1. c. 3. th. 2. Differentia ex o-  
mnibus quatror causis sumitur, primò Efficiente uni-  
versali suppositâ, DEO scilicet Ter opt. Max. omnis boni da-  
tore Jacobi i. Sine cuius afflatu nemo magnus unquam fuit.  
Cic. 2. de natura Deorum. Ac particulari remota, quæ  
Moralis educatio audit. Virtus enim à naturâ sumit initium,  
sed doctrinâ perficitur. Quintil. l. 12. c. 2. Hanc Plutarch. in  
lib. de institutione liberorum, maximi facit atquæ exem-  
plis aquæ guttatim descendantis, quæ lapides excavat;  
ferri & aeris, quod sensim manibus atteritur, &c. declarat. E-  
amquæ exaggerat Crates ille apud Plut. qui si possem inquit  
audiri ab omnibus hominibus concenderem turrim & clamarem  
quò ruitis homines, qui colligitur & corraditur numeros, & interim  
informationem liberorum negligitis? In definitione i.  
mentio fit efficientis causæ proximæ, quæ exercitatio seu a-  
ctionum bonarum crebra frequentatio seu crebrum exercitium  
est. Ut enim nec medici nec imperatores, nec oratores, quano  
quam artis precepta percepint, quidquam magnâ laude dis-  
gnum sine usu & exercitatione consequi possunt: sic officij cons-  
servandi precepta traduntur, illa quidem ut faciamus ipsi, sed  
rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat, teste  
Cic. lib. 1. offic. Atque ea intelligitur actio, quæ jam homi-  
nem bonis moribus assuescere cœpit, & ita disponere ut  
ad culmen virtutis plenis passibus grasilari queat. Non

que

quæ virtutum præceptis ad rectitudinem redigitur, cūm illa virtutis moralis objectum externum sit. Nec ea, quæ honesta & continuata formalem rationem Summi Boni constituit post virtutis habitum, eo enim respectu, virtutis effectum meritò salutatur.

Sitque Spontanea, cuius principium est in ipso agente singulas circumstantias sciente. Quippe qui coactus vel per ignorantiam quid committit, minus laudari aut vituperari consuevit. Hujus actionis principia sunt *consultatio*, quæ de mediis ad finem ducentibus ratiocinatur. *Præelectio*, quæ ea eligit quæ in nostrâ potestate sunt, facto initio ab iis sine quibus ad reliqua aditus non patescit. *Volitio* quæ bonum cum ratione expetit. Atque deum actio hoc processu peragitur. Intellectus bonum vel malum, honestum vel dishonestum, intelligit, judicat, concludit. Voluntas appetit vel aversatur, appetitus dehinc sensitivus, rationi præscribenti & voluntati jubenti obsequitur. Hinc tandem actio moralis, seu exsequutio rei volitæ sequitur. Atque ut spontaneum ac invitum sese exferant, libertas quædam in hominis actionibus statuenda venit: quâ de negotijs civilibus ratiocinari atque eligere possit: ne omnia fatali necessitate fieri, cum Stoicis concedamus.

2. Materiæ, non quidem, ex qua, cum in accidentibus non datur, Analogos tamen duplēcēm ei assignare materiam studebo, in quâ ipsam voluntatem, cum habitus sit electivus: atqui ele&gio & libertas in homine locum non habent in appetitu sensitivo sed rationali. Præterea est virtus homini propria & cum bestiis non communis, idcirco in propriâ hominis facultate, puta voluntate, quæ æquè moralibus indiget, ut malitia ejus sanetur, ac intellectus, intellectualibus, ut ignorantia ejus tollatur; ut in subjecto

venit

venit collocanda... Circa quam, seu objectum internum affectus sunt, qui quatenus motiones sunt appetitus sensitivi, forum spectant Phisicum, moraliter nec boni nec mali. Quatenus vero imperio rectae rationis & voluntatis subsunt, virtute morali, non tollendi & planè aerruncandi secundum Stoicos; sed domandi & regendi, ut honestis tantum actionibus delectari, turpes vero & inhonestas fugere valeamus, sic locum merentur in Ethicis. Subjectum horum appetitus est sensitivus, ejusque cum duæ sint facultates, concupiscentia, habens pro objecto bonum prosequendum, & malum fugiendum, unde procedunt ordine circa objectum bonum; Amor, desiderium, gaudium; circa objectum malum, odium, fuga, tristitia. Irascens, respi- ciens bonum & malum arduum, respectu boni duo prodeunt affectus, Spes & Desperatio; Tres respectu mali, Timor, audacia, ira. Hinc omnes undecim numerantur, sex in concupiscente Quinq[ue] in irascente facultate.

3. Formæ analogicæ sic dictæ, quæ est ipsa re-  
stitudo & congruentia ad honestatis & rectæ rationis  
normam: seu, quod idem fermè est laudabilis me-  
diocritas, ad vitiosa extrema nunquam deflectens.  
Mediocritas enim & congruentia cum rectâ ratione, tam  
arcto ligantur vinculo, ut unum sine altero esse aut exi-  
stere vix possit, adeò ut si formam virtutis mediocritas  
non constituat, ejus tamen immediatum adjunctum &  
essentiale consequens omnino erit. Heid. part. 2. philos.  
Moralis. Quicquid enim laudabilem servat mediocri-  
tas modum mediumq[ue]; tenens, illud etiam debitam ser-  
vat rectitudinem: & contra. Ac quemadmodum re-  
stitudo est norma actionum; ita mediocritas: & vitium  
est quod à debitâ mediocritate recedit, non secus ac quod  
recti.

rectitudine destituitur. Nob. Gyll. Coll. Eth. D. 3. Denique Finū, non quidem & seu cui applicanda venit, qui est homo, in cuius corādum actiones omnes suscipiuntur ut beatitudinem adipiscatur; sed & cuius gratia & propter quem, supposito absolutè summo, gloriā Dei summi in suo genere mentio sit ponitq; Felicitatem ipsam, seu beatitudinem civilem, & jucundissimum in hoc mundo statum ad quem virtus collimat.

*Ad Praecepti Secundi, memb. I:um.*

Virtutem specie unam cum Stoicis, Plutarchō teste, quæ varia nomina saltem sortitur, ex varijs objectis & diversis circa eadē actionibus, non facio, etiam si parum id incoñodē fieri referat. Nob. Gyll. Disp. 3. coll. quatenus nimirum una recta ratio, quo etiam sensu Pythagoreū prudentia omnium virtutum māter indigitatur. Liceat enim per generalia principia, genericam formam, finem communem ita connexæ sint, ut non absurdē dixisse videatur Tull. 2. Q. Tusc. Si confessi fueris te unam virtutem non habere, vix ullam ob earum connexionem videare firmiter tenere. Nihilominus tamen cum diversæ in homine sint inclinationes, inficias non eundum est, quin & diversæ dentur formæ, propensiones has perficientes. Quippe ut ait Poëta:

*Hic satus ad pacem, hic castris utilis armis;*

*Naturæ sequitur semina quisq; suæ.*

Diversos moderantur in quovis appetitu affectus. Circa diversa versantur objecta externa. Alia atq; alia institutione, assuetudine & actione inducuntur. Quæ tamen singulæ ad hæc duo capita, sufficientissima ad S. B. acquirendum, commode reducuntur, quæ vel suæ premi Numinis cultu & veneratione, quem pietas præ-

Scribit. Vel dilectione proximi & nostri ipsius, quam probitas moderatur, perficitur. Hanc confirmat præceptorum decalogi in posteriorem & priorem tabulam divisio, quarum prior officia pietatis DEO; posterior probitatis munia homini debita, mandat. Vendel. Phil. Mor. L. de recta vita. c. 6.

*Ad Præcepti Secundi, memb. 2, dum.*

Juxta triplicem in uno subjecto virtutum respectum seu gradum, virtus gradu distincta commode, ad nutum, Casp. Barth. Ench. Eth. c. 9. dispescitur. 1. est *In-  
cipientium sub naturali inclinatione seu dispositione*, cui inchoata seu imperfecta virtus adjungitur. Cum vitiosi motus animorum cedunt quidem rationi sed non sine maxima lucta. 2. Proficientium sub virtute communi, cum appetitus magis convenit ad rectam rationem, eiq; patet sine notabili aliquâ hæsitatione & rebellione, quo consummata virtus spectat. 3. Est Heroum & perfectissimo-  
rum, cum omnes animi motus, qui virtuti obluctari poterant, ita sunt repressi ut rationi rarissime se opponant.

*Ad Præceptum 3.iuum*

Muneri satisfecisse suo non videtur *Ethicus* dum virtutis moralis naturam lustraverit, ni vitij foeditatem quoq; aperuerit, cum contrariorum eadem sit scien-  
tia, Eaq; juxta se posita clarius elucescant.

*Nam mala sunt vicina bonis; errore sub illo*

*Pro virtuo virtus crimina sæpe tulit.*

Idecirco si virtutis tramitem servare, & in arcem felicitatis intromitti velimus, *Virtus* quæ honoratis ornatur titulis, atq; vocatur; *honestas, decorum, perfecti integritas, reditudo, recta ratio, ipsaq; justitia*, sectanda: *vitium v. quod ignomi-*

ignominiosis insignitur nominibus, atq; dicitur; turpi-  
tudo, improbitas, peccatum, pravitas, error, impotentia animis,  
vitiositas, adeoq; injustitia, declinandum. Cic. in L. offic. L. 2.  
de inv. Reth. L. 4. de finibus Tysc. q. 3. fugiendum, atq;  
sic vivis suis coloribus in Ethicis depingendum est. Hu-  
jus causa efficiens Theologicè loquendo, est Diabolus &  
perversa hominis voluntas: philosophicè, defectus rati-  
onis & nimius amor sensuum, eorumq; quæ sensibus  
sunt grata, qui rationem obfuscat & appetitui subjicit.  
*Si enim appetitum respiciamus, homo magis pronus est ad  
vitia, quippe sensibus gratiora.* Si rationem; magis ad  
virtutes præcipue morales; ut enim se habet intellectus ad  
scientiam: sic voluntas ad virtutem. At omnes naturâ  
desideramus scire. Forma est *dro pia* seu insipientia ta-  
lis, quæ defectus est & exorbitatio à mediocritate & re-  
ctâ ratione.

## QUESTIONS.

### I. Cadit ne Summum B. in homines in hâc vitâ?

B. Hominem miserrimam creaturam nuncupat Bern-  
hardus in meditationibus suis cap. 3. dum eum sperma fœ-  
tidum, imbecillitatis exemplum &c. appellat: Plurimiq;  
cum eo aliq; imò *Sacra pagina*, miseriam & vanitatem ho-  
minis exponit, ut si secundum scripturam loqui veli-  
mus, in mundo meram esse vanitatem, omnigenas mo-  
lestias, inconstantiam, & cuncta afflictionibus plenissi-  
ma, fatebimur. Atq; propterea felicitatem summam  
exulare? Sed nihil est quod ambigamus, gradus felicita-  
tis si consideraverimus, res erit expedita, S. n. B. nunc  
sumitur pro bono absolutè perfecto, quod in hominem  
in hâc

In hac quidem mortalitate non cadit, nunc p̄f̄cto  
in suo genere, quod quo ad *essentiam* in genus humanum  
in hac vitâ cadit; etiam si difficulter in individuis, quo ad  
*existentiam*, reperiatur. Dici enim recte potest quod  
homo vivat, & secundum virtutem agat E. quod sit be-  
atus. Arist. 1. Eth. 10. Fortunæ inconstantiam tanti non fas-  
cimus, ut virum bonum ab honestâ actione dimovere  
posse eam concedamus: sive blandiatur Zephyrus, sive  
fremat Boreas, vir nūlominus bonus, animum in qua-  
vis fortunâ gerit præsentem.

## 2. An virtus in hâc vitâ ca- dat in hominem?

Etiamsi divinum quid virtus sit & res perfecta quæ non  
nisi in immaculato invenitur domicilio: atq; Hor. lib. 1.  
sat. 3, canat,

Vitijs nemo sine nascitur  
Tamen, cum in hominem cadat, proh, vitium virtutis  
contrariè & privativè (sed diversimode) oppositum, vir-  
tus in eundem cadere debet, cum opposita fieri habeant  
circa idem. Atqui homo particeps fieri potest beatitudi-  
nis, ideò & mediad finem ducentis. Et quorsum tot in sa-  
cris & prophanic adhortationes ad virtutes, si nullatenus  
daretur in hac vita. Næ vos tamen cum virtute etiam  
cohærere, ultro fatemur, optima enim vina suæ habent  
fæces. Cedit proinde in hominem virtus etiamsi non  
perfectissima, quæ plane divina dicitur, tamen perfecta  
in suo genere, quæ humana nuncupatur.

## COROLLARIA I. Fœminas virtutis capaces

cſc

esse quotidiana experientia  
comprobat.

2. Virtus quævis inter duo  
extrema consistit.

3. Homo in civilibus liberta-  
tem habet.

4. Omnia vitia non sunt  
paria.

Præstantiss. atq. doctissimo juveni,

DN. ANDREÆ JACOBI Elmegreen/

Philos. C. eximio, patriotæ meo perdilecto, progra-  
du Magisterij doctè disputanti, hisce ex animo  
applaudebam:

Pulchram quisquis amat gnatam benè ducere, matrem,  
Is colat & studio de veneretur eam.:

Vulgus ait. Virtus genetrix est, filiam honorem.

Qua parit. Elmegreen / Tu quoq. cernis idem.

Diligis en matrem hanc, cùi filia nascitur uique,

Compta: nec hæc virgo pulchrior esse potest.

Virtutem coluisti; & adhuc colis; hinc tibi honoris

Culmen adest. Pro quo disseris egregie.

avroo Xedios

MICHAEL Gyllenstålpe &c.

*Præstantissimo & politissimo Viro-Juveni,*

Dn. ANDREÆ Elmegreen Smolando,  
Philosophiæ Candidato meritissimo, amico & con-  
ciliatori suo favissimo, pro summis in philosophia  
honoribus consequendis; De Natura virtutis do-  
ctè pulchreq; disterenti;

**I**ndita sunt animis virtutum semina nostris  
Naturâ, quarum nescia fama mori.  
Res liquet: exemplo, flos nobilis inter alumnos'  
Phoebi quo Elmegreen comprobat omne suo,  
Pieriis etenim non tantum militat annis',  
Et vigili Musas strenuitate colit.  
Sed quoq; virtutis, læto spatiatur in agro,  
Discursu placido, commoda multa ferens'.  
Carpit purpureos flores & lilia campi:  
Pulchra igitur Laurus cinget honore comas'.  
Pergas, *Andrea*, virtutum carnere flores',  
Quæ tibi jam laudis mollia serta parant.

*Ita licet occupatissimus medullitus.  
tamen gratulatur*

**GEORGIUS ALANUS**  
S. S. Theok. P. P. & Past.  
Aboens.

---

**ANDREAS JACOBI ELMGREEN**  
**SMOLANDUS.**

Per Anagram:

**GLORIAM DEICELEBRAS: NON**  
**DAS MANUS,**

Gloriam

**G**loriam enī tu celebras Dei, dum  
Flectū ad Musas animum sagacem:  
Non enim das assidus, manus, mi  
Candidē frater.  
ex animo applausi  
**S V E N O J. G A R D I U S.**

Τέκνον φιλοσόφων, ΑΝΔΡΕΙΑ κάλιμε γνώτε,  
Χαῖρω καὶ προκοπᾶς ἐτεί, τῶις τιμᾶς ἀγαθῶσι;  
χλεῦ @ δ' ἀδάνατον: τὰ κάρυατα πολλ' ἀναδάλπε.  
ἔρωμη Θαυμασή: περὶ τῆς ὁρετῆς τε-θιδάσκεις  
φιλοσόφως καὶ χαῖρε μεχρὶ τῆς γῆρα @ ἐδῶ.

Hæc præstantiss: ac Doctiss: Dn. Philosophie  
Candidato meritissimo, τῷ σωσθασῇ ho-  
norando, in artham τῆς αἰωνίας φιλα-  
δελφίας, αὐτοτχετίως relinquebam.

*Daniel B. Rosander  
Smol:*

**E**ximios animos labor arguit; ocia turpes.  
A puero ANDREAS indulserat hicce labori;  
Testantur cuncti quibus est hec cognita virtus.  
Nunc video sibi non frustra sumptum esse laborem,  
Debita jam merces ipsum comitatur honosq;.  
Gratulor Elmegren tibi fautor sanguine juncte:  
Cedat id in laudes divini Numinis amplas!

Rudi avenā, sed sincero affectu  
fundebat

**Æschillus S, Fabricius Smo-  
landus.**

**A**Rs facit ingenium (*sic est sermone receptum Undique*) nec virtus clara sepulta jacet,  
Laudibus en summis tandem virtutis amantes  
Ornantur, docet ut pagina sacra viri.  
*Hac pietatis opes hæc fundamenta salutis*  
Pandit, & *hæc validâ conterit arma manu.*  
*Hanc colis Elmegreen præceptor devenerande,*  
*Hanc versas animo nocte dieq; bono.*  
Has tu florebis ducus immortale per artes  
Virtutem sparget posteritasq; tuam.

*Joh. Alanus.*

---

**N**unc tibi quam fuerit non segnis cursus in arvo,  
Eloquitur præsens res specimenq; probum,  
O felix cursor, constanti qui pede cursum  
Conficis, Et plausu concitus alta petis.  
At ne deficiant præceptor pondere nervi,  
Sacra juvet cursum flaminis aura tuum...

*Christophorus*

*Alanus.*

---

**E**n tibi præceptor paucis nunc grator & opto  
Ut tua fortunet compita cuncta Deus!

*Nicolaus Alanus.*



280(50)